

MIRACVLA SUPPLENTIA, \* poste-  
riora EMENDANTIA. \*\* Par est ratio  
supernaturalium.

\* ergaentzende, \*\* ausbessernde Wunder.

§. 498.

Numerus supernaturalium et miracu-  
lorum in mundo perfectissimo tantus est,  
quantus possibilium eius numerus, quae  
naturaliter et secundum ordinem naturae  
aeque bene actuari nequeunt, §. 459, 497.  
nec maior, nec minor, §. 160.

§. 499.

Si quis vnquam supernaturalis euen-  
tus in mundo optimo melior est, quam  
naturalis, qua confectaria etiam, si quis  
vnquam euentus possibilis mundi optimi  
est naturaliter per naturam vniuersam  
impossibilis: mundus perfectissimus non  
est, qualem hunc naturalista significatu  
generaliori statuit, §. 498, 493.

§. 500.

Non omnis, qui quaedam praeterna-  
turalia, §. 474. spirituum finitorum ef-  
fectus extraordinarios, §. 467. miracu-  
la comparatiua, §. 477. prodigia et mi-  
racula quoad nos, §. 478. contra cursum  
naturae, §. 480. et ordinem aliquem  
eue-